

I. N. J.

EXERCITIUM ACADEMICUM,  
BREVEM

ΤΗΣ ΠΟΛΥ<sup>τ</sup>  
ΠΡΑΓΜΟΣΥΝΗΣ

Comprehendens Delineationem,

*Consentiente*

AMPLISS: FACULTATE PHILOSOPHICA,  
In Regia ad Auram Academia,

P RÆ S I D E

*Viro Adm. Reverendo atq; Celeberrimo,*

Dn. M. JOH. Münster/

Phil. Pract. & Hist. Prof. Ord.

*Bonorum Censuræ modestè examinan-  
dum sifit*

GABRIEL TH. ARENIUS,

O. Bothniensis.

*In Aud. Max. diei, si DEO ita visum fuerit  
21 Martii horis antem. A. M DCC VIII.*

---

Exc. Jo. WAL.

**DEI**  
**ET**  
**REGIS**  
Magnæ Fidei Viro,  
*Reverendissimo in CHRISTO  
Patri ac Domino,*  
**DN. JOHANNI  
GEZELIO,**  
S. S. Theologiæ DOCTORI  
Consummatissimo,  
Diœcesios Aboënsis EPISCOPO  
Gravissimo,  
Regiæ  
Academiæ PRO-CANCELLARIO  
Magnificentissimo,  
**SALUTEM ET ANN**



Ennorum spes magna, Parens & glo-  
ria Pindi,  
Tento quid? audaces mitia fata  
juvent?

Nescio num poterint; nam supra se sapuisse,  
Est irata, reor, fata dedisse sibi.  
Sed quid erit causæ tandem quod talia temno?  
Scilicet invitis queis in Opaca feror,  
Silvis tot densis, tot frondibus undique septa,  
Quam copiosa fluit guttula quæque maris.  
Sunt data signa tubæ, serò medicina paratur,  
Sunt data signa, juvat nil revocare pedem.  
Cur precor, ignoscas o lucida Stella Virorum,  
Si fuerint, ut sunt, munera manca tibi,  
Quæ damus inviti, dum res angusta penatum,  
Sorsque inimica domi dum potiora vetant.  
Non audacia nos, laudis non ulla Cupido,  
Quid? sed adegit eo non temerata fides:  
Non temerata fides, quam tollent secula nulla,  
Non temerata fides, nec moritura fides.

## REVERENDISSIMÆ VESTRÆ PATERNITATIS

*Humilimus cliens*

G. ARENIUS.

*Admodum & Pl. Re  
Clarissimis &*

**VI**

**DN. GEORGIO BIUGG,**

Pastori Civitatis Vasensis, Parœciæq; Musta-  
sariensis longè meritissimo, ut & adjacen-  
tium Præposito celebratissimo, Patrono  
devenerando.

**DN. MARTINO GALLO,**

Pastori in Wðro Seniori meritissimo, Bene-  
factori optimo.

**DN. M. LAURENTIO GEZELIO,**

Pastori item in Wðro benè merito, Everge-  
tæ observantissimo.

**DN. M. LAURENTIO ØWJSZ/**

Pastori in Ellefyrø laudatissimo, Fautor i mul-  
tis obsequiis demerendo.

**DN. GABRIELI KALM,**

Sacellano in Nerpis pervigili, Avunculo opti-  
mè, ut Parentis loco, de me merito.

*verendis, Reverendis,  
Speculatissimis*

RIS,

**DN. M. GABRIELI THAUVONIO,**

Pastori & Præposito in Merpis famigeratissimo, Mæcenati ac Promotori omni obser vantia jugiter colendo.

**DN. MARTINO RIVELIO,**

Pastori in Malaꝝ Vigilantissimo, Patrono uno non nomine suspiciendo.

**DN. M. JACOBO VERANDRO,**

Pastori in Lappfierd / ut & Civitatis Christi næ Fidelissimo, Favitori honoratissimo.

**DN. JOHANNI BACHSTER,**

Sacellano Christinæ, perindustrio, affinitate & amore sibi junctissimo.

**DN. OLAVO IHLKEN,**

M. V. D. in Malaꝝ / fidi, affini itidem dilecto.

**S**uscipite hæc, PATRONI, Vos quoque  
fronte serena  
Munera, quæ vobis porrigit ægra  
manus.

Ægra, quod hoc nequeat quidquam dare  
munere majus,  
Ægra nihil, poterit quod dare, majus  
habet.

Jam si qvid valueret preces, si votaque  
qvicquam,  
Interposita sint ob benefacta, rogo.  
Dona quidem, fateor, quod sint hæc vi-  
lia, nulla;

Quâ tamen extiterint, sumite, mente  
data.

Sic faciet munus constans Intentio  
justa,  
Devote semper nomina vestra  
colens.

## VESTRI

*Observantiss:*

Gabr. Arenius.

SUPER ARGUMENTO  
Egregiæ dissertationis  
*Egregii Juvenis,*

DN. GABR. ARÈNII,  
Amici singulariter  
dilecti.

In tempestivis multorum tempora  
canis

Quid niteant? noli quærere: cura  
facit.

Cura injusta tamen, nec iusso mu-  
nere functa.

Cura foris nimium cognita, rara  
domi.

Quæ sunt vestra, agite, O θλυπεγγυεσσ;  
inque aliena

Quærite, quando nihil quod facia-  
tis, erit.

Festinus, & cum febre luctatus  
relinqueb.

TORST. RUDEEN.

Juveni

Humanissimo Doctissimoq;

DN. GABRIELI ARENIO,

In

VANAM CURIOSITATEM

B. C. D.

Curiosè inqvirenti.

Vix Juvenis, morbos Juvenum,  
πλυπεγύματα fistis:

Tempore cum nobis nil nisi  
magna dabis.

Prolixo animo hæc paucæ  
bonori dedit

PETRUS TIGERSTEDT.

ROT. RUDEN



Π ΑΡΑΣΚΕΤΗ



Inter multas, quas Philosophi veteres fluctuantibus levibusque præcipuo animis, ex motibus quibusdam Palæstricis, egestibus aliquanto liberioribus & id genus consimilibus, inesse judicarunt, inconstantiae notas atque *παρηγέλμα*, primo quidem loco legi merentur, quæ passim in eorum scriptis exstant de immoderata quadam avocatione ab uno considerationis scopo in alium, unde facilis detur conjectura, nihil, vel parum, adesse constantiae, dum rebus sese immiscuerint, & molestiam parere aptis & longe supra co-

A

rum

rum naturam positis. Quod itaque  
 iste, ob miram & sibi quasi conna-  
 tam dicendi suavitatem à pleris-  
 que sic dictus Eloquentiæ Parenſ,  
 & quem ē toto φιλοσοφών agmine  
 merito nominaverim maximum,  
 Cicero, denotare voluit cum molli-  
 mine invita ſucepto Minervā, illud &  
 hic locum invenit haud indecen-  
 tem. Si enim ita faciendum eſt,  
 ut contra universam naturam nibil con-  
 tendamus, monente eodem in lib. de offi-  
 ciis l. pag. 192. Utique existimave-  
 rim eos, qui in tot tamque diversa  
 abripiuntur, in hanc impingere  
 naturæ regulam: Non attinet re-  
 pugnare naturæ, nec quidquam fe-  
 qui quod aſtequi nequeas: ſi nam-  
 que, unus quidem, vix luſticerit uni  
 rei ordinatè, & ea, qua decuerit,

cura

cura, expediendæ, quanto minus  
 pluribus est itaque *invita*, ut ajunt,  
*Minervâ* aliquid suscipere, nihil  
 aliud quam *adversante* & *repugnante*  
*natura*, ceu pluribus hoc ipsum declarat  
*Cicero* in *cit. loco*. Quam stolidè au-  
 tem hoc fiat & præter omnem ra-  
 tionis modum, ipsa quam dixi, ra-  
 tio, si modo sana fuerit, dictitat;  
*Cicero* namque cum duabus quasi  
*Personis* hominem indutum esse  
 vult, alteram vocat *proprium*, alte-  
 ram *communem*; è quibus hanc di-  
 cit esse rationem, quæ homini erit  
 instar directricis, eligentis quid si-  
 bi congruum sit, quid non, quid  
 naturæ conveniat, quidve repugnet;  
*propria* autem *Persona*, quam ipsam  
*naturam* esse docet, decenter debe-  
 mus uti, & nostro nos pede ac mo-

dulo metiri, etiam si majora videamus geri ab aliis. Quod si histrio-nes igitur non quamlibet, sed sibi maximè convenientem Personam agunt, quanto magis hæc consideratio in vita est tenenda? Si qui autem sublimiora, & suo ingenio, viribus, conditione ac vitæ genere majora adfertent, turpiter se in hoc Mundi theatro dare & prostituere solent, ut non immerito ceu inepti histriones rideantur atque explodantur. Itaque Cicero alibi ait, *eos more gigantum cum Diis pugnare, qui naturæ obnuntur;* hi enim dum aliorum naturam imitantur, omit-tunt suam. Hinc & Socrates iis sub-inde, qui Meteorologica tantum curabant, respondere solebat: *Quæ supra nos nibil ad nos.* Et Aristoteles

res evidentes demonstrare conan-  
tem similiter facere dicebat, ut si  
quis solem per lucernam ostende-  
re conetur. *Max. Serm. II.* Ut er-  
go eo quisque sermone uti debet,  
qui sibi notus est, nisi græca ver-  
ba inculcans jure optimo rideatur:  
sic in actiones omnemque vitam  
nullam conferri discrepantiam o-  
portet. Hoc utcunque jam sit, ni-  
hilominus tamen, ceu ante multa  
ab hinc secula jam extitere, ita ho-  
dieque, si conjicere modo fas fue-  
rit, existunt, qui *curiosa* sua *εργολίας*  
nobis ansam dederunt, argua-  
mentum Dissertationis nostræ in  
eorum πλυπεργμοσύνη commode fun-  
dandi. Quæ itaque B. L. ne di-  
cam vivis ac propriis depicta co-  
loribus, ad hoc enim nec satis atra-

menti nec temporis mihi fuit, le-  
vi tamen, quo potui, penicillo ad-  
umbrata scelē ipsam repræsentat.  
Si quæ autem à tenuitate ingenii &  
festinatione, quæ in contexendo  
ante diem nato & immaturo hoc  
opere, maturi mihi adstitere co-  
mites, vel sicco præterita fuerint  
pede, vel alias insufficienter tracta-  
ta, ea à B. L candore, qui malè fa-  
cta alioquin in meliorem interpre-  
tari partem didicit, confido mihi  
compensatum iri.

## §. I.

 Ic itaque præmissis, quæ ad præ-  
sens negotium quasi Procœmii  
loco facere visa sunt, placet jam,  
quoniam omnis de πλυπεγγυε-  
τύν Disputatio futura est, ante in ipsius  
vocis natales inquirere, ut eo commo-  
dius ad ulteriora pandatur via. Ut  
ta-

tacēam allusionem istam elegantem fas-  
 tis, qua illudit *Curiosis* ipse *Plutarchus* in sua  
*de Curios. Comment.* in attendenda scilicet  
 prima hujus vocis origine, dum *alite-  
 rium*, i. e. *scelerosum*, à *Curiositate principio  
 ortum traxisse* ait. Allusio ridicula! narrant  
 enim, dicit ille, sed nescio quinam, penu-  
 riâ frumenti Athenis obortâ, ita, ut  
 quibus esset triticum, ii id in publicum  
 non promerent, sed domi suæ per no-  
 tem molerent, quosdam itaque obam-  
 bulasse qui molarum observarent stre-  
 pitum, atque inde hoc nomen repor-  
 tasse quasi molarios diceres; est enim  
 ἀλεῖν Græcis molere; similis igitur  
 quod esse debeat origo hujus vocabuli,  
 vel ut ille loqui amat, *Sycophanta*, quem  
 Latini *Delatorem* dicunt: quasi jam *Cur-  
 iosis* cum invisiſſimis atque moleſtissi-  
 mis hominibus, ob ſimilitudinem atque  
 cognitionem rei, aliquid intercedat com-  
 mune. hoc in medio linquimus. Verum  
 tamen eſt, quod ipſe τῆς πλυπεγχυσύνης  
 significatus non diſſimile quid impor-  
 tet. Quid enim significat πλυπεγχυσύνη  
 aliud

aliud quam Curiositatem, quam inanem  
 sollicitudinem? & originem debet voci  
 in concreto πλυπεγυμών, Curiosus, hoc  
 vicissim deducitur à verbo πλυπεγυμονέω  
 Curiose perlcrutor, quod compositum est  
 à πλύνειν & πράγμα, & hoc iterum ex πράσσω  
 seu πράγμα descendit; est itaque vi vocis  
 nihil aliud, quam cupiditas quædam  
 cognoscendi aliorum res, multisque se  
 implicandi negotiis. Quoad Homony-  
 miam autem, accipitur quidem Curios-  
 itas aliquando pro ordinata & egregia  
 rerum suarum functione, sed quæ signi-  
 ficatio jam à nobis aliena est, utpote in  
 malo sensu hoc verbum accipientibus.  
 ut se. Ambrot. Calep. Passeratio curiosus  
 ille dicitur, qui nimium studet in in-  
 quirendo, aut in re aliqua agenda magis  
 quam decer, diligens est. Dicitur & alio  
 nomine Græcis, περίεργος, κενόσπερδος, &  
 bene concinit cum priori: significant  
 enim ea verba, inaniter aliquid fatige-  
 re & laborare, ubi aures arrigant Curio-  
 s, cum frustra tentent id, cuius oneri  
 pares esse nequeunt, sæpius, innuo, Ci-  
 rios-

riositatis hujus non aliis effectus certior esse solet, quam cum Terentiano isto, oleum & operam perdere, quo plus enim laborat inquirendo, eò minus invenit: Test. Sal. atque ita nec ineptè responderet Gallorum: Curiosité, desir d' opprendre de voir des choses nouvelles, Italorum: Curiosità diligenza; Germanoru: Geschäftigkeit/ die Wundergierigkeit/ der Vorwitz; Hispanorum: Curiosidad y diligencia; Anglorum: Curiositie piked diligence: Svecorum: Förveteenhet/ & Fennorum: cæcijns cajomus / vel lijca suru eli witehs.

## §. II.

**D**escribenda autem nobis venit ἀναγνωστον omnium primò ex adjuncta qualitate, quæ est morbus quidam quasi innatus, contractus ex invidia, qui à livoris rabie sibi non temperat, in alteriusque successibus non pacatâ cum fronte, sed animi quodam deliquio & acerbitate, oculos continuò intentos tenet; quos itaque in virtutum splendore claros deprehendit, in hos debacchatur, judicans se digniorem, qui haec omnia

rectius meliusque efficiat. Hic quoque stimulus est, qui mandat curiose varia investigare munera, malorum tractandorum copiosam historiam; Anima quippe omnigenum vitiorum plena, metuit ea, quæ intus sunt, adeoque propriam vitam, tanquam injucundissimum spectaculum inspicere, ac rationem, veluti lumen, in se se reflectere non sustinet; ideoque exilit foras & vagatur circum aliena, pascens & saginans suam vitiositatem. Invidiâ non indignum opus! ipsa enim est ægritudo animi ex alterius felicitate orta, qui motus calorem non levem intus exsulcit, & ab intimis ad extremas corporis partes evocat; quo fit, ut invidi incalescant, cumque bilis humorem concitent, & is insitâ in cerebrum levitate evadat, accidit non raro ut irascantur, ac in proximum odio plusquam Vatiniano rapiantur. Hinc est quod tam solliciti reddantur, incipientque omnes percurrere plateas, omnes angulos, suam exprobrando Curiositatem. Ergo malorum cognitionem

Curiositas

*Curiosus affectans eo tenetur morbo, quod gaudium ex aliorum adversis rebus capitat, & hoc vitium est invidentiae germanum. Invidentia enim est dolor conceptus ob res alterius prosperas; gaudium vero seu volupratem, quâ afficimur ob aliena mala, Epichæreaciam uno verbo Græci dicunt, utrumque autem horum nascitur ē malignitate, sævo & beluino animi affectu, cuius natura est ob alienam felicitatem & virtutem torqueri; quo majora enim aliorum gaudia & bona, eò plura hinc illi nascuntur suspiria & tormenta: invidetur, ait Cicero, præstanti florentique naturæ. Deinde ejus est natura, aliena bona & dona odisse, redere atque extenuando obscurare, studere ea ad se trahere vel aliò à Possestori derivare, sua non contenta esse forte, & quos alios enumerat monströsæ hujus Matris monstruosos fœtus Egardus, in suo opere, quod inscribit: Γνῶθι Σεαύτον. p. 291.*

### §. III.

*E* vocemus autem ex antiquissimis suis antris nostram in his angvem, non

aliter ac in herba latitantem; huic nempe Invidiæ sororio adjunctæ sunt vinculo aliæ duæ, quæ forte causam πλυντερίας nobis constituent, Avaritia sc. & Ambitus honorum sive Æmulatio, eandem utpote subdolè suffulcientes, mutuasque sibi invicem præstantes operas. Verum hoc, uti innuebam, cautè & subdole fit, nempe sub specie liberæ honestatis. Hinc duæ potissimum excipi solent pecuniariæ cupiditatis causæ, necessitas seu *indigentia* & sumtus qui inexhausti sunt. Unde πλυντερίας anam arripuerunt suam dilatandi Curiositatem, varia subeundo munera & expeditiones. Sed patiantur, quæso, sibi abripi à me hanc præconceptam opinionem; plura namque, quam ritè ex lequi sibi tutò quis audeat polliceri, negotia aggredi, suæ est indigentia cumulum addere, fructibus tamen hujus laboris, hujus sudoris nullis, ne minimis ad eum redundantibus. Et utcunque hoc aliquando fiat sub tali prætextu, datur tamen & alia Curiositas, quæ non cadit sub hanc limitationem,

dum aliena curantur, quæ nullum non modò usum præbent, sed & eo ipso *Curiosum ignominiosam Curiositatis suæ notam incurrere faciunt.* Quin & accedit *emulatio* atque *ambitus honorum seu ambitio*, quæ nullis continentiae limitibus circumscripta, ægre fert Remp. latius patere, quam ut sui unius gubernatione administrari possit, quo desiderio opum iniqui plerumque agitari solent, multisque idcirco modis injusti sunt, qui inde vel potentiam sibi adstruere satagunt, vel ut ex illarum largitionibus auram popularem captent, quales sunt generosiores quidam & naturali quadam magnanimitate præditi, imitantur scil. vere magnanimos, qui possident omne id, quod in virtutibus est τὸ μέγιστον. 4. Nic. 3. Sed vana est ista indigentia exceptio, quæ non nisi speciem honesti mentitur; utrum enim numerus succedaneus sit, & Vicarius indigentia ex hominum instituto factus, juxta Arist. 5. Nic. 5. §. 29. ubi hæc inveniuntur: ὑπαλλαγμα τῆς χρέως τὸ σόμισμα

γέγονε κατὰ συνδήκην. interim duplēcē  
 agnoscimus Indigentiam, naturalem unam,  
 de qua subsumi potest estatū illud Ari-  
 stotelicum, alteram vitiosam, quam vel  
 acuit avaritia vel amplificat luxuria, sum-  
 tuosum vitium, adeoque sub hoc exce-  
 pionis prætextu admitti, non nisi cum  
 grandi honestatis opprobrio, potest. Hinc  
 enata querela Ciceronis: Maxime, inquit,  
 adducuntur plerique, ut eos justitiae capiat  
 oblivio, cum in imperiorum, honorum, glo-  
 riæve cupiditatem inciderint. Quod enim  
 est apud Ennium: Nulla sancta societas  
 nec fides regni est, id latius patet; nam  
 quicquid ejusmodi est, in quo non pos-  
 sunt plures excellere, pluribus tamen id-  
 īplum ambitiosè affectantibus, in eo ple-  
 rumque sit tanta contentio, ut difficili-  
 sum sit sanctam servare societatem.  
 Declaravit id C. Cæsar is temeritas, qui  
 omnia jura divina & humana pervertit,  
 propter eum, quem sibi ipsi opinionis  
 errore fixerat, principatum: bellum  
 sc. contra Patriam tulit impium, nulla  
 quinvis reverentiâ nullo Providentiæ  
 divi-

divinæ metu, nullis naturæ aut Civitatis Romanæ juribus consideratis. Addie & aliam causam Egardus, quare tam alterè sapere studeant Curiosi, quod scilicet non noverint se homines esse, *omnis*, ait, *Curiositas est ex ignorantia sui. Theol. Pract.* pag. 257.

## §. IV.

**F**inem vero, in quem ultimò tendit, & quasi in sua puncta tandem resolvitur hæc immatura alienorum inquisitio, forte difficilius nobis erit investigare, nisi ex occasione Canonis istius Logici: *Quatis est causa talis est effectus*, velimus nobismet ipsis aliū formare Canonem non multum à priori discordantem: *Cujus causa mala est, ejus et finis malus est.* Quem finem dum inspexerimus, etiam expediet πολυπεγμόνων indolem atque Characterem, utpote cum isthoc fine unum quid constituentem, proprius attendisse. Difficile adeoque non erit conjicere, hujus farinæ homunciones non aliam ab causam tam acutos aliorum esse vitæ inspectores, viciniamque perlustra-

Iustrare, quam ut aliquid in ea obseruent, quod vitiosum denotet habitum, & hoc tamen non medendi sed patefaciendi causâ; que enim libenter audiunt libenter etiam loquuntur, & que ab aliis studiose colligunt, apud alios cum gaudio efferunt. *Cit. Plutarche, in Comment. super Curiosit.* Sed & hæc curiositas inopinatum sortitur effectum, quâ Iciliacet inimicis, si qui appellandi sunt, quam sibi existunt utiliores; eorum namque res arguunt & in lucem protrahunt, ostenduntq; eis quod cavere, quod corrigere debeant. Sed ut accidentalis est hicce finis, ac non, nisi præter spem operantis, intentatus; Sic neque ut adæquatus admittendus est, qualem nihilo secius sibi reservatum habet hunc, eumque geminum, ut sequatur alienorum destructio, propriorum autem aliquod opinatum commodum: Non aliter quam ii homines, qui, nisi magno cum aliorum damno, nunquam se divites evaluros sperant. *Medita autem, vel rectius instrumenta, ad obtinendum hunc finem adaptata, ut raceam mille* do-

dolos, prætexturas & nefarias artes alias, quibus dies noctesque in cædes & rui-  
nas, quantumvis tacitas, intenti sunt, facimus aliorum *lingvas*, quæ illis ancil-  
lares quasi operas præstant, & illorum ipsorum *aures*, quæ fideliter apertæ sunt  
in exaudiendis ejusmodi tragœdiis, il-  
las præcipuo, quæ novæ sunt, cum vo-  
luptate spectantes, obloletis autem, co-  
micis atque lætis non admodum libenter  
interesse cupiunt: itaque nuptias, aliquo,  
aut sacrificium, aut solennem pompa-  
narrante, socors est negligensque Au-  
ditor homo *Curiosus*, & pleraque se jam  
ante audivisse ait; si verò quis assidens,  
vitium Virgini oblatum, Matronæ ad-  
ulterium, litis intentionem ac discor-  
diam fratum referat, non magis dor-  
mitat aut aliis occupatur,

*Verum aures præbet tum verbaq; plura regvirit.*  
Sicut enim Cucurbitulæ pessimum è car-  
ne humorem educunt; sic aures *Curioso-*  
*rum* pessimos sermones ad se trahunt.  
Et sicut quibusdam in Urbibus sunt por-  
tæ quædam nefastæ ac tristes, per quas

educuntur qui à Carnifice necandi sunt, tum sordes atque piacula, nihil autem quod castum vel sacrum est, per eas intrat aut exit: Sic etiam Curiosorum aures bonum nihil aut elegans, sed tantum de cædibus sermones & impuræ narrationes perfonant. Hæc unica est illorum Siren, hæc Musica, hæc illis omnium auditionum est Iuvavissima. Quippe Curiositas studium est audiendi quæ occultata sunt & latent, quapropter & omissis multis pulchris spectaculis, auditionibus, Scholis, Disputationibus, aliorum literas, si forte ex accidente quædam sele eis offerant, ( quis enim tales non metuet? ) resignant, aures parietibus vicinorum applicant, & cum servis eorum atque Miserculis susurros miscent, plerumque id non sine periculo, semper cum turpitudine. Nunc, quemadmodum, in fabulis est, Lamiam domi dormire cæcam, oculis in quodam vasculo repositis, foras autem egestam inferere oculos, atque videre; ita quisque horum foris &

ad-

adversum alios, malignitati *Curiositatem* quasi oculos aptat, in sua ipsius mala impingens, saepenumero ob ignorationem visum iis & lumen non adhibet. Evidem *Ulysses*, ne cum Matre colloquium quidem sustinuit, antequam e Vate audivisset ea, quorum gratia ad inferos venerat; his cognitis, & ad Matrem se convertit, & in reliquas mulieres inquisivit, quae Tyro esset, quae formosa Chloris, & cur mortua fuerit Epicasta?

*Sublimis funem necki de culmine noctens.*  
 Sed hi, cum suarum rerum locordia, ignoratione & neglectu summo, in aliorum natales inquirunt, scilicet, Vicini avum fuisse Syrum, aviam Thressam: illum tria debere talenta, neque persolvisse Usuras. Quin & talia indagant, unde uxor hujus redeat, quid iste & iste in angulo inter se sint locuti: & quis enumerare poterit inumeras eorum curas, quibus huc & illuc impelluntur, dum in omni officiorum suorum genere excellere student, atq; ex accumulatis

*C 2* *nego-*

negotiorum spartis nullam relinquere  
infectam.

## §. V.

**S**ed tamen cum in descriptione πληγμών occupamur, age, persequemur eandem, antequam ad alia nostre fidei vertat discursus; omnibus igitur detractis nequitiae suæ larvis, eos aspiciendos locabimus. *Curiosus* in hæc leiplum insinuat, familiæ quidem bene constitutæ haud libenter, etiamsi rogaretur, futurus spectator; quorum verò causâ claves & fores inventæ sunt, ea detegens aliisque enuncians. *Ventorum*, ajebat Aristo, molestissimi sunt ii, qui amictum nobis retegunt: *Curiosus* non vestes proximorum, non tunicas, sed ipsos parietes detrahit, fores pandit, atque adeo venti instar omnia pervadit, bacchationes, choreas & per noctem ductas hilaritates examinans atq; calumnians; & quemadmodum in *Comœdia* exagitati Cleonis

*Manus in Aetolis animus in Clopidis erant:*  
Ita *Curiosus* animus simul & in divitium pedibus est & casis pauperum, in aulis

Re-

Regum, in cubilibus recens nuptiis juniorum, omnes res indagat, peregrinorum, Principum: has quidem non sine periculo; nam sicut aconitum aliquis gustans, qualitatem ejus scrutandi gratia, prius perit, quam saporem sentiat: ita qui majorum mala rimantur, saepe prius seipso pessundant, quam cognoverint, quod quærebant. Id genus homines raro rus abeunt, quod tranquillitatem & silentium solitudinis ferre non possint; quod si eò interdum accedant, magis tum vicinorum quam suas inspicunt vites, & interrogant quot boves vicino mors abstulerit, aut quantum vini acorem contraxerit, atque his mox impleti cursu se proripiunt. Etenim verus rusticus ne casu quidem allato, ex urbe rumori lubens aurem commodat, sed in hanc loquitur sententiam:

*Nunc ille mi rasiris excerpti solum,*

*Fuerit quibus pax facta conditionibus*

*Narrabit; haec enim scelitus obambulans*

*Nunc curiose querit ille - - -*

*Sed Curiosi rus, ut rem obsoletam, frigidam*

dam & tragœdiis carentem, fugientes,  
 in tribunal, forum portusque se intru-  
 dunt, quærentes: Novine aliquid? at qui  
 mane fueras in foro: aut putas trium  
 horarum spacio urbis statum esse im-  
 mutatum? At si in aliquem inciderint,  
 qui habet quod narret, huic, ab equo  
 delapsi, dextram injiciunt, amplexique  
 hominem & exosculati, audiunt. Si  
 verò occurrentis aliquis nihil dicat esse  
 novi, indignabundo similes: quid ais?  
 inquiunt, non fuisti in foro? non præ-  
 tergressus es curiam? non compellasti  
 eos qui ex Italia venere? exosum ho-  
 minum genus! egregiè igitur Locro-  
 rum Principes, qui pergrè venientem &  
 quærentem, ecquid novi? multaverunt.  
 Rectè etiam Charondas, qui vetuit ne  
 quis civium in Comœdia traduceretur,  
 præter adulteros & Curiosos; videtur e-  
 nim adulterium curiosa in alterius vo-  
 luptatem esse inquisitio, eorumque in-  
 dagatio, quæ absconduntur & pleros-  
 que latent. Curiositas item corruptela est  
 ac denudatio arcanorum: imò qualern  
 eam

eam describit Plutarchus, talem & agnoscimus, quod scilicet facile abstinere ab his, quibus ipsis interdictum est, non possit, quod consiliis amicorum arcanis se ingerat, sacra, que cerni ab illa nefas est, intueatur, loca inaccessa calcet & sermones Regum scrutetur. Hinc est quod haud ineptè in comparationem venire soleat jam cum gallina aliorum intrante domos, & iterum cum Argo centum habente oculos. Alsted. in Encyclop. Etbic. lib. 21. c. 13.

### §. VI.

Quoniam autem fori & iuris iudicantis mensio injecta est, descendamus igitur ad hanc Rerum publicarum formas, indagatur quid juxta earundem administrationem usu venire soleat. Imprimis quidem incidit iste questionis status: An uni multa officia committenda: Magistratus plures imponendi aut sustinendi? haec questione, quamvis ex superius allatis videatur satis diluc posse, interim non grave erit adferre eorum rationes, qui pro affirmativa non aliter quam

quam pro focis & aris pugnare videntur. Primum argumentum defumunt ab agilitate & velocitate naturæ humanique ingenii, quod non solum possit in unum tantum, verum & in plura, & hoc non eodem die modo, sed & eodem temporis momento vim suam impendere.

*Quintil. lib. 1. Instit. Ora. cap. 19.* Ita Citharœdi simul & memoriae, & sono vocis & pluribus flexibus serviunt, cum interim alios nervos dextrâ percurrunt, alios levâ trahunt, continent, præbent: ne pes quidem otiosus, certam legem temporum servat, & hæc omnia simul. Agricolæ item arva & vineta & oleas & arbustum colunt, pratis, pecoribus, hortis & alvearibus curam accommodant. Imò ferentibus aliquid negotiis, aliquid desideriis amicorum, aliquid rebus domesticis, aliquid curæ corporis, non nihil voluptatibus quotidiè damus. *idem ibid.* Deinceps argumentantur, quod *varietas* delectet, animos reficiat & reparet, contra aliquanto sit difficilius uno in labore perseverare; & etiamsi multa ege-

egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id, quod incipimus, ubi pro se rursum citant eundem Quintil. accedit quod & dignitates quædam inutiles & superflui sint Magistratus, ut horum multi uni alicui committi possint. Greg. Tholozanus lib. 4. de Rep. cap. 6. Necessestas præterea sæpè facere illud cogit, ne propter stipendia ærarium oneretur. idem ibid.

## §. VII.

**H**is jam respondeamus necesse est. Primum quod attinet, tum quidem rectius ac melius negotia à multis quam uno conficiuntur, quemadmodum manus multos in digitos divisa ad negotia peragenda, celerem atque expeditum usum habet. Plutarchus de gerendâ Rep. Singuli, inquit, singula rectè conficere possunt, plura verò minime; quod si facere quis hoc conetur, in singulis deficiet ita, ut in nullo egregius evadat. Plato sec. de Rep. item Arist. lib. 2. & 4. Politie. Ac licet intentum quis animum habeat; tamen duas res, magnas præsertim, non mo-

dò non agere uno tempore, sed ne cogitando quidem, explicare quisquam potest.

*Cic. Philipp. 12.* Etsi quoqu πλυπάγμονες tales initio placeant, sintque nonnullis admirationi propter industriam, tamen oritur post tedium & reditus fit ad singulos. *Plutarchus de ger. Rep.* Nec possunt tales immunes ac liberi esse à reprehensionibus; ut illud silentio minimè involvatur, quod ita præcludatur via concordandi ad honores idoneis, quod vitium in Aristocratis præcipuo non insolens esse solet, dum per ambitum pravasque artes, via in senatum patet viris improbis atque ineptis, exclusis melioribus. *Pufendorf. de off. hom. & Civis. lib. 2. c. 8.* Quod & accedit dum unus plurium vices & honores occupat, ac ita Principi depereunt boni & strenui, qui alio se se conferunt, dum vident in unum solum honores conferri. *Greg. Tholozanus lib. 4. de Rep. c. 6.* Neque enim facile credendum, duabus rebus necessariis unum sufficere; nam cum uni iudicio affuerit, alteri abstrahi necesse est, sicque nulli ob

nulli eorum idoneum in totum invéniri.  
 Itaque apud Plutarchum de *Metiocho* quodam, omnia agere volente, illud Athenis  
*Civium ore frequens circumferebatur:*  
*Metiochus exercitum ducit, Metiochus vias*  
*curat, Metiochus farinam tractat, Metiochus*  
*cunctis aliis p̄aest, Metiochus itaq; plorabit,*  
*qualis & plerumque exitus illorum esse*  
*soler, qui temeritate vel ambitione qua-*  
*dam omnia agere volunt.* Laudatur id-  
 cireo non immerito Ludovicus Ungariæ  
 Rex, qui à Casimiro M. Polonorum Re-  
 ge in Regni successionem adoptatus,  
 perentibus Polonorum Legatis, ut re-  
 gnum susciperet, respondit: non satis  
 intelligere, neque hunc quid invadeat,  
 neque illos quid petant; è neutrorum  
 enim re id fore. Sicut neque duobus qui-  
 dem gregibus expeditat unum habere  
 Pastorem; ita duas Resp. vix ullâ ratio-  
 ne, sine alterutrius, sive adeo utriusque  
 malo & incommodo, uno administrari  
 posse. *Cromer. lib. 13.* quapropter & Ci-  
 cero felicem deprædicat Remp. Cujus  
 administratio latissimè paleat ad plurimosque

pertineat. Consultius itaque est pauciores, vel unicum præcipue acquirendi modum dextrè urgere & excolere, juxta tritum illud: **Så många kall så många** Oljekor. Et proverbium Svet. ita habet: **Then som har många Järn i Elden han bränner som bliga.** Quod & Funcius suo testatum facit exemplo, qui dum A. 1568. d. 28. Octobris, & ætatis suæ anno 49. statuum Borussiæ sententiâ damnatus & capite truncatus est, ante suam Curiositatem, utpote causam hujus necis, deplorasse legitur hoc emortuali disticho:

*Disce meo exemplo mandato munere fungi,  
Et fuge eeu pestem την πλυπεγμοσύνην.  
Uteribunt Abraham. Bulchozerus in Indic.  
Chronolog. p. 672. & Pet. Lindebergius lib. 4.  
Chronol. Rosvah. cap. 19. p. 129. Oedipum  
quoque Curiositas in extremas conjectat  
calamitates, dum seipsum querere vo-  
luit, ut qui non Corinthius sed peregrin-  
nus esset, adeo ut hoc effatum suo tan-  
dem comprobare calculo teneretur:  
Veneranda malorum oblio quantum sapio. Plut.*

Hinc Cicero lib. I. de officiis dicit, tam peregrini quam incolæ officium esse, nibil prater suum negotium agere, nihil de alio acquirere, minimeque in aliena Rep. esse curiosum. Sic & Lycurgus peregrinos Lacedæmone palam arcebat, ne civium mores peregrinis corrumperentur. Ista autem Curiositas cum alibi tum Venetiis perquam est periculosa, arcana Reip. interiora consilia & morbos sæpiissimè scrutantibus indigenis. Si autem quod suum est facere, & quemque non aliud agere deceat, quam quod concredit sibi muneric ratio requirit, non utique longè aberraverimus è scopo, si hec jam inserendam curremus istam apud Politicos obviam quæstionem: An Ecclesiastici secularia tractare debeant? Respondebimus confessim missis ambagiis, ad eorum, quas objicere solent, instantias. Mandato sibi divinitus munere diligenter quidem & fideliter quemque fungi convenit, suisque se finibus continere, juxta monitum illud: Cave fal-

cem mitras in alienam messem, & aliena,  
 quæ ad te nihil attinent, ne cures; nam  
 alienarum rerum cura, tuarum est ja-  
 & tura, philautiæ & vanæ persvasionis  
 nota, honestæ existimationis & nominis  
 macula, & demum tristis gravisque  
 ruina. Test. Egardo in suo Γνῶθι Σεαυτὸν, &  
 quidem part. prim. p. 128. Extra ordinem ta-  
 men in Conciliis Politicis ad biberi solent Cle-  
 rici, quatenus membra sunt imperii, & de sa-  
 lute Reip. non minus quam reliqui status solli-  
 citi esse debent, ceu pro nobis hac in re  
 respondeat Reverendiss: dum vixit, jam  
 autem beatè defunctus Doct: Joh. Gezel.  
 in Encyclop. & Quæst. Politic. p. 142. Sic  
 & Ecclesiasticis Disciplina Ecclesiastica  
 commissa est, certæque Consistoriorum  
 sedes assignatae, de quo passim consuli  
 potest Ordinant. Ecclesiast. interim hoc-  
 ipsum nulla in re excusat Curiosos cæte-  
 ros, qui res ad se minime pertinentes  
 anxiè ventilant; verum iis occinit illud:

*Aliena quorsum acutè pervides mala,*  
*In propriis cæcus hominum invidissimè?*  
 Et aliud Plutarchi: transfer extrinsecus

& intrò converte Curiositatem, siquidem delectaris malorum tractanda historia, domi tibi est copiosa materia.

§. IX.

**A**tque, ut Curiosa temeritas exitium ferè semper inveniat infelix, teste sacra & profana historia, cum quotidiana experientia; sic & ejus hæc certa sequela, quod seipsum ludit & decipit, seipsum miseram reddit, & efficit animum nunquam tranquillum: nam is, qui dixit animi tranquillitatem affectantem, neque privatim multa, neque publicè debere agere, primum magno emendam nobis facit rem, venalem nimirum inertiâ, tanquam unicuique infirmo præcipiens:

*Quietus in stratis mane tuis miser.*  
Compelcat itaque se humana temeritas & id, quod non est, non quærat, ne illud quod est, non inveniat. Aug. contra Manich. Cave ergo agas οὐφον ἀνθρωπον, sed quod tuum est cura, quod alterius mitte.

Ἐργον παρέργων οὐδαμῶς ἔργου λέγω,  
Τῶν γάρ παρέργων καταφρονητέον. i. e.

Laborem non necessarium nequaquam laborem  
 voco; nam non necessaria negligenda sunt.  
 Remedium ergo, quo quis uti possit, ne  
 hac in re facilis decipiatur, subministrat  
 Cicero in lib. i. de offic. p. 199. Cujus loci  
 hæc sunt verba: Quæ contemplanteis ex-  
pendere oportebit, quid quisque habeat sui, ea-  
gue moderari, nee velle experiri quam se aliena  
deceant; id enim maximè quemque  
 decet, quod est cujusque suum maximè.  
 Suum igitur quisque noscat ingenium,  
 acremque se & vitiorum & bonorum  
 suorum judicem præbeat, ne scenici plus  
 quam nos videantur habere prudentiæ;  
 illi enim non optimas, sed sibi accomo-  
 datissimas fabulas eligunt: qui voce fre-  
 ti sunt, *Epigonos*, *Medeamque*; qui gestu,  
*Menalippam*, *Clytemnestram*, &c sic deinceps.  
 atque ita histrio hoc videbit in scena,  
 quod non videbit sapiens in vita. Addit  
 Cicero: *Ad quas res aptissimi erimus in iis*  
*potissimum laborabimus.* Appositè docet  
 Epictetus: Εὰν ὑπερδύναμιν αναλάβης τὸ  
 πρόσωπον, καὶ στέτω ἡχηρόντας, καὶ ὁ  
 ἡδύνασθαι σκπληρώσῃ, παρελίπετε τὸ εὖ. Si quam  
 Per-

Personam, qua vires tuas superat, indueris, tum eam indecorè geres, tum eam, quam sustinere posses, negliges. Enchirid. cap. 59. quibus optimè convenient, quæ in superioribus à Cicerone commodavimus, ut pote ex eadem Schola profecta. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruferit, quæ nostri non sunt ingenii, sicut nonnunquam accidit, ut, quantumvis invititiis rebus implicemur, ad quas explicandas naturâ sumus inepti; quid igitur tunc agendum? Officii nostri erit, inquit idem, id unicè operam dare, ut quam honestissimè recedamus, & quam minimum indecorè gradum referamus; magis enim nobis incumbit vicia fugere, quam bona à natura negata affectare velle. Et quemadmodum gubernator navis alia suis ipse peragit manibus, alia instrumentis ac manibus aliorum, utiturq; nautis, proretis & remigum Magistris, quibusq; sua sibi convenientia concredens munia: Sic & Civilis præcipuò viri officium est, ut aliis quoque imperium concedat, neque omnes Civitatis res suis unius Oratio-

nibus, decretis atque actionibus admi-  
nistret. Quod nec indignabuntur Urbis  
nostræ lumina, si inter eximum eorum  
fulgorem, cum Valerio Maximo, hanc  
spectandam locaverim virtutem, quod  
tam justè officia in singulos distributa,  
quemque suæ moneant rationis officii,  
unde & in futurum Politiæ florem vivi-  
dum speramus. Sic Pericles Menippo  
usus est ad gerenda bella; Ephialtis ope-  
râ concilium Areopagiticum depresso;  
per Charinum, leges contra Megaren-  
ses pertulit; Lamponem Thurios con-  
ditum emisit. Gratulamur itaque Pa-  
triæ nostræ dulcissimæ statum hunc Reip.  
convenientissimum, Senatorum & Epho-  
rorum Regis consilio ita firmatum, ut  
bona reperiri & mala devitari, ex eo fa-  
cilimè constet; Unicum saltim est quod  
desideramus, nempe, ut ita salvus nobis  
nostrisque posteris decurrat incolumis,  
& perrennet ad universalem & catholi-  
cam illam omnium reformationem, in  
die Pantocritico futuram! sed ad propo-  
situm revertamur. Neque enim & so-

lum

lum minus invidiæ obnoxia est, ob magnitudinem potentia in multos distributa, sed & rectius negotia conficiuntur; & qui in Rep. aliis quoqu munera publica committit, actiones efficit ob societatem efficaciores: at qui insatiabili gloriæ potentiae studio totam sibi imponebit Remp. & ea quoque aggreditur, ad quæ vel à natura, vel ab exercitatione est imparatus ( ut cum Cleo ad ducendum exercitum, Philopœmen ad regendam Classem, Annibal ad concionandum se contulit ) ejus, ubi quid peccatum est, non habet locum excusatio, sed occinatur ei præterea Euripideum hoc:

*Tractasti qui faber es non fabilia:*  
 Scilicet, legationem obivisti artis persuadendi rudis, annonam procurasti socors, quæsturam gessisti ignarus calculi, senex vel imbecillis exercitum duxisti; Sic & multi infeliciter id audent, non benè ac probè observata *euφυΐα* & naturali inclinatione, ut non solum spe sua & ambitione frustrentur, sed & quod

E 2 bre-

lum

brevibus Gyaris, carcere aut suppicio aliquando dignum existimetur.

## §. X.

**T**radit & Cicero præterea aliam regulam ad quam, ceu normam, totam conformare vitam decet in averlan-  
*do μόνης εγγεγοσύνης* vitio: *Imprimis*, inquit,  
*constituendum est*, quos nos & qualeis esse velimmo, & in quo genere vite. Quo ipso  
ostendit certum finem actionum huma-  
narum esse constituendum, tum conve-  
niens vitae genus esse eligendum, per  
quod & illum finem obtineas, & quo te  
etiam ducat tua natura; nam ad eun-  
dem finem & scopum non solum diver-  
sis viis saepè itur, sed & omnino eun-  
dum est iis, qui diversam induerunt per-  
sonam. Finem vero sibi nemo non pro-  
ponit hunc, ut possit esse felix; at in me-  
diis nimis fluctuant homines, unde &  
Ciceroni audit hæc deliberatio difficili-  
ma. Atque ita deprehendere licet, quod  
sequantur ὅτι πολλοὶ vitae genus ἀπολαυσι-  
ὰς, per varia studia & artes, qua in re-  
mul-

multitudinis feruntur judicio, quæque  
 majori parti pulcherrima videntur, ea  
 vel maximè exoptant, ceu discurrit hac  
 de re peregregiè ductor noster Cicero  
*in lib. i. de offic. p. 199. & sequentibus. in Edit.*  
*puta Rachelii.* Quamvis jam longè de  
 me abjectius sentiam, quam ut impro-  
 bem eorum mores, tamen quis non vi-  
 deat, hæc dissecata, ut ita dicam, studia,  
 invitare ipsos ad studium πολυπεγγυοσύ-  
 νης. Res non indiget prolixa quidem  
 probatione; sentientibus enim se aliquid  
 impendisse operæ, aliquid temporis ju-  
 ridicis, aliquid Thejologicis, aliquid  
 aliis disciplinis, indignè ferunt, nisi in  
 quamcunque partem aliquanto curiosius  
 inquirere, suamque ad omnia capacita-  
 tem exprobrare liceat: quibus tamen  
 ipse Cicero heic videtur suum, de *certo*  
*quid eligendo*, monitum opponere, & eam,  
 quam toties laudat, *vite constantiam*. Sed  
 quid & dicendum de *vita solitaria?* annon  
 & hæc magnum ad vitandam πολυπεγγυο-  
 σύνη fulcimentum? Imò frequentius fo-  
 ris quam domi peccant, oculi, aures, os

& manus, quia objecta movent sensus.  
*Inimica est*, ait Seneca, *multorum conversatio*;  
*nam aut aliquid vitii nobis ingerit, aut  
 commodat, aut imprimet; quo major est po-*  
*pulus cui miscemur, hinc periculi plus est.* Ni-  
*bil tam damnosum bonis moribus quam in  
 spectaculo residere; tunc enim per voluptatem*  
*facilius vicia subrepunt.* hucusq; ille. Egar-  
 dus autem: *Tu, quantum recte quidem li-  
 cet, te à turba & frequentia hominum avelle,*  
*& in tuo angulo cum angelo late.* Ast quid  
 multa? canit & idem Poeta:

-- *Et bene qui latuit bene vixit, & intra  
 Fortunam debet quisque manere suam.*

Includet ergo conclusionem Adagium  
 illud, quod in commune jam abiit pro-  
 verbium: *Spartam natus es, banc exorna.*  
 Et hæ sunt jam lineolæ istæ, minoris,  
 quam quod minimum censetur, pretii,  
 quæ & propterea, ut tumultuariè ac præ-  
 properè nimis exaratæ, omne suum ro-  
 bur à benigna B. L. censura expectant.  
 Fateor quidem & multa heic desidera-  
 ri, quæ continuandam πλυπραγμοσύνης  
 commentationem supplere potuissent,  
 &

& etiam pauca, quæ congesta sunt, nullam prorsus sapere elegantiam, nullum ornatum. Addo, quod & nonnulla, eâ, quâ debuissent, methodo, non videantur tractata, sed quod studio à me factum sciet B. L. urgente hoc rei, quæ mihi tractanda erat, ipsius copiosa indole. Jam interim dum manum de tabula tollere præsens rerum status jubeat, colophonis adhuc vices subeant, preces & vota devotissima pro Rege nostro Clementissimo, CAROLO ex CAROLIS maximo, atque eo nomine DUODECIMO, qui nobis inter media bellorum incendia, tuta gaudentibus pace, mille periculorum telis obnoxius, extra Patrios fines indefessas agit excubias. O! definite tandem invidissimi ac in Sueonum necem conjurati enses, ad innocentium pectora mucrones dirigere, jam dudum à tot interfectorum sanguine tepidos. Ut tandem felici ad nos fidere redeat, totius Sveciæ spes, suorum terror hostium, Arctoi Orbis Lumen & nostræ Pater Patriæ! imò redeat! cum gloria, cum victoria, cum diuturna Pace!

F I N I S,

*Super Disputationem eruditam*

*De*

ΠΟΛΥΠΡΑΓΜΟΣ ΤΗΝ Η,

*Politissimi*

DN. GABRIELIS ARENII.

**Q**uisquis eris, qui consuetus versare  
diurna

Nocturnaque manu, quos meditata cohors  
Docta libros; hoc lucrum atque haec tibi præ-  
mia sunt,

Ut tandem doctis annumerere Viris.

Insipice ET ARENIUM, cuius fuit unica  
cura,

Doctorum doctis invigitare libris.

Mox tibi, crede mibi: nam spes est nescia  
falli,

Præmia continua sedulitatis habes.

Laurus ille feret, quos doctis necdit Apollo,  
Et titulos, Clari quos meruere Viri.

Festinus gratulabatur

Joh. FALANDER.

Eruditione atq; moribus Insigni,  
DN. GABRIELI ARENIO,

De

ΠΟΛΥΠΡΑΓΜΟΣ ΤΗΝ

Solerter differenti,

*Amico Familiarissimo.*

TENTAS cœrulei, Respondens, marmora  
Ponti,

Ut celsas rigidus trudit hiatus aquas,

Quæis subsunt Syrtes, hominum tristissima  
fata,

Ad quæ non paucis naufragia prora jacet.

Subque tua pinu latet ardens alta crepido;

Hæc πολυπραγμοσύνη, quam vaga pulsat  
aqua.

Attamen haud dubius felicia carbasa ducis,

Prima per has turbas en! tua navis arat.

Dirigo & posthæc, vento spirante secundo,

Ingenii puppim, littora ad alma tuam.

ZACHARIAS FORBUS,  
L. F.

F

Ad

Ad

LITERATISSIMUM DN. RESPONDENTEM,  
*amicum sincere observandum:*

**S**i modi currant numeros per aptos,  
Indolis dotes canerem sodalis,  
**C**ui per anfractus teritur gradatim  
Semitæ avita;

**A**st eunt tarde, resonantque raucum:  
Nec notam turpem fugerem, vigoris  
Si tui laudes calamus ferendo,  
Prodigus esset.

**O**pto jucundis ut eas rosetis,  
Res tuæ cursu properent secundo;  
**A**spera est nobis pereunda spina,  
Dulcis Amice.

**E**sto: procedas pede semper uno,  
Præmium non te fugiet laboris:  
**I**llud, in gnavos facilis ministros,  
Mula parabit.

JOH. PROCHMAN.

Lil

Her RESPONDENTEN.

**H**wad stada/ hwad onyttighet/  
The ofsta ther af finna/  
Som söka af Förrwetenhet  
Med sina anslag hinna  
Förwidt/ och blaſa deruppå/  
**S**om dem liktwist ej bränna må.

Det wiſſar Her ARENIUS wål  
Med sina Wittra Rader/  
Och gifwer biſfall med god ſkähl  
Til det en Wijs Man ſade:  
Thet ingen nyttta med ſig bär/  
At ſkötta hwad ens annars år.

Wijd Edert vpsåth önſtar iag  
På Östra Nordens vägnar/  
At en af dett berömda slag/  
Som förr/ än bleſwe hāgnad:  
Jag menar at I kunde få/  
I Edra Fäders Gothspår gå.

JOSEPH SEENBÄCK.

*Ad Eximum Auctorem,*

*amicum familiarissimum.*

**Q**uid juvat assiduis hominem pallescere chartis,  
Et versare bonos nocte dieque libros?  
Scilicet ut lucrum post longos, dulce,  
labores  
Efficiat lætum, sive superstes honor.  
Ut bene cœpisti, doctis indulge Camænis,  
Sic ea, qua fuimus, spes neq; cassa  
cadet.

**H. R.**

